ORATIO

HABITA IN FVNERE

REVERENDI PATRIS

CLAVDIJ FRANCISCI MILLIET DECHALES

Societatis Iesu,

A P. CAROLO HYACINTHO FERRERIO

eiusdem Societatis.

In Collegio Taurinen. die 28. Martij 1678.



AUGUSTÆ TAURINORUM 1712.

Ex Typographia Jo. Baptistæ Fontanæ.

Superiorum permissu.

SI quis veſtrum eſt, N. N., qui paucis ante menſibus Sapientiſſimum Virum Patrem Claudium Franciſcum Dechales in hac aula, ex hoc loco dicentem audierit; a fieri certè nequit, quin miſera rerum viciſſitudine perturbatus diem illum Academiæ Taurinenſi fæliciſſimum cum hoc conferat triſtiſſimo die, quo eundem audiet à me ab eodem loco funeſta laudatione commendari. Hæc igitur erant, quæ ille ſperare iuſſerat? hęc erant, quæ nobis de ſe ipſo pollicebatur, cum ea, qua ſolebat, ingenij fælicitate cupidis rerum nouarum Adoleſcentibus Mathematicum

a *Prælectionem Mathematicam habuerat P. Dechales quatuor ante mortem menſibus in aula Collegij Taurinenſis, in qua oratio habita.*

Mundum euolueret? Fuit (ò mortis inuidiam! ò labem! ò funus non vnius hominis, ſed omnium penè litterarum, & artium!) fuit quàm magna, tàm breuis fælicitas veſtra, Taurinenſes. Mandavimus Terræ virtutem illam, quam ſcilicet hac lege permiſerant ſuperi, vt ſerò darent, eriperent citò. Amiſimus Lumen, & Decus Academiæ: hunc nobis honorem idem annus attulit, idem ademit. Auget iacturæ grauitatem violenta celeritas fati: mentem auream, animum planè cæleſtem agnoſcere licuit, frui negatum eſt; vt ſcilicet comperta priùs virtute ſtatim carituri, & certiùs experiri malum, & dolentiùs proſequi cogeremur. Enimuerò, niſi

pre-

pretiosæ essent sapientum exuuiæ, nisi religiosum cinerem, & dulces reliquias, vel ipsis lacrymis emere præstitisset, parum absuit, quin dicerem: Si tanto Viro repente orbari debuimus, satius fuerat nunquam adipisci, quod erat incredibili mœrore, & luctu dimittendum. Quid enim ab eius possessione boni lucrati sumus præter vsum voluptatis breuissimæ, & acerba semina magni doloris? Sapientis tamen est, Auditores, iusto dolori vel modum præscribere, vel otium dare; ne periculoso silentio se ipsum tegat; fit enim sæpè, dum taciti dolemus, vt ne dolere quidem videamur. Abeamus itaque ab hoc mœstæ taciturnitatis officio; erumpat in commenda-

tionem virtutis ereptæ mutus dolor; nefas est, si pares illi laudes inuenire non possumus, impares recusare. Nam etsi laus nulla sufficere potest summæ virtuti, studio tamen Oratoris sufficere debet conatus ipse laudandi; qui si parum feliciter cedat, vtrumque fateatur ingenuè, & se minùs potuisse, quàm vellet, atque id saltem voluisse, quod posset. Ego tamen Claudium Franciscum Dechales satis commendatum existimabo, si vocibus omnium vestrum commendauero; immò ne hoc quidem satis esse credam, nisi modestam hominis verecundiam ad eius laudes adhibere, & impellere possim. Quod vt consequar, duo mihi potissimùm quæ-

renda sunt; Quid cæteri de ipso, quid de se ipse sentiret. Diuinam quippe virtutem iudico, quam mirantur omnes, quæ se ipsam sola non miratur.

Primum omnium, si fortunæ, naturæque munera delibare placet, haud scio, vtrum magis ex dignitate futurum sit; an studiosiùs inquirere, an potiùs negligentèr dissimulare, quid omnes de illius sanguine, de patria, de opibus, & splendore parentum, de antiquitate Originis, & Nominis claritate iudicarent. Quippe in eiusmodi Viro, qui abdicata rerum humanarum pompa fortunæ domesticæ strepitum eiurauerit, commendare maiores, titulos, & stemmata ambitiosè describere, quid

aliud, quàm sterilitas laudum videri potest? tenuitatis enim, & inopiæ argumentum est, aliena inuadere, vt crescant sua. Quamobrem ineptè laudamus, quod ille latere voluit, ne laudaretur; ineptè miramur in sene, quod nondum virilis animus, nondum matura virtus infra dignitatem suam esse iudicauit. Nisi fortè magnanimus ille contemptus, quo rebus humanis altior, quidquid omnes venerantur, animosè dedignatus est, tabulas maiorum, & stemmata, monumenta clarissimæ stirpis, sacros, militares, aulicos dignitatum gradus, & insignia velut in triumphi morem explicari deposcat; vt ex illo rerum apparatu æstimetur, quantus ille fuerit, qui tanta contemptse-

tempſerit. Quidquid cæteri ſentiant, Auditores, Ego certe ità iudico: Nobilitatem ex virtute naſci, ſed ab illa quaſi Matrem ornari virtutem; Sacros homines moribus quidem magis, quàm titulis cenſendos eſſe, ſed morum ſanctitatem addita magni nominis luce pulcriùs, nitidiùſque ſplendèſcere; plurimum denique ad Claudij gloriam afferre momenti ſocietatem ipſam, & conſenſum eorum omnium, quæ apud varios hominum ordinés in pretio ſunt. Cuius enim gloriæ fuerit, eundem Virum nobilitate Aulicos, Doctrina Sapientes, religione, pietate, innocentia Domeſticos in admirationem ſui, & amorem rapuiſſe? Itaque dignitas illa, quam à maioribus

bus acceperat Claudius, non quòd parua videatur, negligenda est, sed tamquam nota omnibus leuitèr potiùs attingenda; pedem hac in re altiùs figere non accurati, sed otiosi Oratoris esse videretur.

Neminem quippè vestrum ignorare arbitror Millietam gentem fœminea, & virili stirpe latissimè propagatam vtriusq; Nobilitatis tum Sabaudæ, tum Subalpinę prima capita arctissimo Cognationis vinculo attingere, Monmaiorios, Prouanas, Dauisios, Nouerios, Lescherenios, Costas, Isnardos, Solarios, Osascos, Monchanutios, Flescherios, Rotarios, Vallisareos. Quotusquisque Procerum est, qui nesciat, Claudij fratres, alterum Camberiensis Curiæ

riæ Supremum Præſidem, alterum è Senatore Pontificem nuper ab ampliſſimo Centronum Sacerdotio ad Præſidis demortui curas funeſta hæreditate fraterni honoris tùm Reginæ precibus, tùm Pontificis iuſſu compulſum; reliquos verò partim experientia rei militaris, & bellica fortitudine illuſtres Principi, & gloriæ ſanguinem, & vitam conſecraſſe, Prouinciarum, & Arcium præfecturas ſumma fide geſſiſſe; partim ſacræ militiæ ſtudio ſub iiſdem ſignis, quibus olim Claudius, etiamnum viuere? Noſtis omnes, neque iſta mihi ex annalium fide petenda ſunt, huius dignitatem familiæ non vnius ætatis eſſe, ſed omnium retrò temporum, cuius initia, progreſſuſque

obli-

obliuiosa antiquitas abdidit; iam indè à Caroli Emanuelis Primi temporibus magnos Sabaudiæ Cancellarios, & Principis Patres numerasse, tùm perpetua serie Præsides, & Senatores, Centuriones, & Tribunos militum, Torquatorum Sabaudiæ Equitum Cancellarios duos, Nobiles Principum Cubicularios, Equites tùm Sancti Mauritij, tùm Melitenses, denique infulatos Antistites quatuor, & quem Tarantasiæ Archiepiscopum dixi ad Sabaudiæ felicitatem superesse, & cæteros pridem extinctos, Philibertum Augustæ primùm, mox Ipporediæ Episcopum, Paulum Maurianensem, Philibertum alterum Taurinensem. Vix habet Sabaudia gra-

dum

dum vllum honoris, quem Domus iſta non occupauerit; omnia propemodum Regni ornamenta in vnam familiam ſucceſſu temporis congeſta ſunt; quidquid largiri Principes, quidquid virtus ſperare poteſt, impetrauit: nihil iam futuris Nepotibus ſupereſt, quod inſoliti, nouique ſplendoris acquirant, ſed gloriari poſſunt ab illa ſe Domo prodijſſe, in qua vincere nequeant Maiores ſuos.

Quare huiuſmodi laudes vulgatas omnibus vltrò relinquamus; ad Claudium accedere propiùs, & percontari libet, quod eſſet, de Viri Doctrina iudicium Sapientum. Atque vtinam Europæ voces vniuerſæ imitari poſſem, & plauſus referre, quos dedit; cum grande

grande opus, Mathematicas omnes disciplinas, velut tantæ mentis hæreditatem exciperet; nec Auctori minùs gratularetur, quàm sibi; illi, quòd eius nominis famam perennibus monumentis posteritatis memoriæ consecratam nunquam timeret vitio temporum interituram; sibi, quòd tacitis omnium votis indulgente Claudij modestia vocaretur in partem, & fructum eruditi laboris! Mirabantur alij mentis vim, & robur ingenij, quòd rerum arduitate non vinceretur; sublimitatem alij, quòd communia, & trita contemneret, altissima quæque perinde ac obuia, & vulgata prægrederetur. Erant, qui perspicacis animi subtilitatem commendabant, quòd abstrusa,

ſtruſa, & longè ab oculis ſemota penitùs, intimèque peruaderet; qui elegantiam, & venuſtatem, quòd ſuo quæque loco collocaret, aptè omnia, ordinatèque digereret; qui fęlicitatem, & copiam, quòd paucis multa colligeret; qui diligentiam,& laborem,tùm quòd nihil omitteret, tùm quòd anguſta, & ſcopuloſa non minùs, quàm amœna, & iucunda pari ſtudio, & alacritate verſaret. Sed omnes paritèr vno vocis, animiq; conſenſu fatebantur, ſe quidem mirari ſatis non poſſe amplitudinem illam mentis, & vaſtitatem, qua ſolus tàm multa, tàm ardua, ſpinoſaque breui decennio, & vniuersè complecti, & fœlicitèr euoluere, & celeritate ſumma ad exitum deduce-

re potuiſſet. Fuiſſe plurimos; qui Matheſeos partem aliquam illuſtrandam ſibi delegerint, alios Opticam, Staticam alios; plures in Elementis vitam omnem, contentionemq; animi occupaſſe non ſine laude, & pretio laboris, ſingulos deniq; ſingula decerpſiſſe; qui omnia tàm plenè, tàm vaſtè aggredi, & comprehendere auderet, ante Claudium fuiſſe neminem. Ne illos quidem antiquitatis Magiſtros, & Duces æternitatem nominis, & famam ex vniuerſa Matheſi, ſed ex ſingulis partibus collegiſſe. Elementa tradidit Euclides, Horoſcopia Anaximander; Geometriam Democritus, Mechanicen Architas, Arithmeticam Eudoxus, Architecturam Vitruuius,

Sphæ.

Sphæram, & Cylindrum Archimedes; Aſtrologiam Xenocrates, & Ptolomæus: quid plures enumerare opus eſt? Nemo vnquam anguſtos limites, quos ſibi circumſcripſerat, egredi, nemo plures, quàm duas, treſue diſciplinas ex infiniti operis mole pertractandas ſuſcipere auſus eſt. Cuius animi? cuius doctrinæ fuit, quod portentoſa illa veterum ingenia deſperauerant, quod antiquitas tota intentatum reliquerat, id non modò fortitèr arripere, ſed celeritèr exequi? Claudius Franciſcus Dechales, qui primum ætatis florem humanioribus litteris, reliquam verò, & optimam vitæ partem Philoſophiæ, & Theologiæ plenè deuouerat, qui mentem in pere-

grinas diuiserat linguas, Italicè, Latinè, Græcè loquebatur, neque veterum modo delicias nouerat, sed recentium quoque lapsus, & errata Græcorum; cum spiritus illos, neruosque robustioris ætatis pristinus fregisset labor, hoc sibi tamen onus imposuit, hoc suarum virium esse arbitratus est: Tractatus, vt cum ipso loquar, triginta, & amplius, libros fermè centum typis edidit, quibus Mathematica omnia abdidit, inclusitque. Neque in tanta varietate rerum, & festinatione scribendi apicem vllum immensi operis inexploratum abire permisit, quin sæpè reuocaret ad trutinam, attentèq; inspiceret, num parere ambages, num aciem effugere posset tyronis inculti.

culti. Neq; enim, vt tenebriones aliqui ſolent, qui caliginem,& vmbras, quas materia ſecum habet, ſuis quoque tenebris augent, non, inquam, cogitabat, quàm multa, ſed quàm dilucidè ſcriberet; quòd eo conſilio iniecerat calamo manum, vt in Mathematicis peregrinum prorsùs, & hoſpitem à primis vſque rudimentis ad ſupremum artis faſtigium longa quidem,ſed plana,& æquabili via ſine tædio, & labore deduceret.

Et ſanè tenuit Claudius, quàm ſibi deſtinauerat,publicæ vtilitatis metam; ſed nobis quantum nocuit, quòd nimis prodeſſe voluerit! Mortem hanc, quàm dolemus, beneficus nobis, fatalis ipſi labor properauit: quid enim de

illius vita expectare poteras, qui quatuor annorum spatio, quibus Parisijs docuit, mille scriptorum, volumina (vt ipse aliquando familiari suo amicè testatus est) incredibili celeritate perlegerit? Importunum laborem, qui festinatæ mortis est reus! qui tantum opus simul peperit, simul operis auctorem, qui opere suo pretiosior erat, extinxit. Paginas infælices! quæ viri sapientiam, quam continent, vt posteritati tradere possent, ætati suæ, & nostræ inuiderunt. Excepimus plausu eruditum munus; credebamus enim Doctrinæ suæ munus illud esse, non vitæ. Damnare nunc cogimur funestam hominis liberalitatem, & qui futuro dolori gratulabamur incauti, pristi-

nam fœlicitatem deploramus. Non egebat libris ætas hæc noſtra, vt tantam mentem agnoſceret. Peruaſerat Principum, & Regum Aulas Claudij fama, antequam ſcriberet. Ludouicus XIV. Galliarum Rex, cum rudes, & inexpertos artis ſuæ Nautas, ipſoſque Nauium Præfectos erudiri vellet, ſciretque pinguibus Nautarum, & militaribus Nobilium ingenijs longè ſubtiliorem requiri induſtriam, & artem Magiſtri, Claudium, cuius Doctrinam celebrari audierat, è Sabaudia euocatum inſtitutorem nauticæ Maſſilienſibus dedit. Carolus Emanuel II. Princeps optimus, qui omnes huius nominis, & ſanguinis, homines
 vnicè

vnicè diligebat, cum illum audiſſet intermiſſa Matheſi Theologiam Lugduni tradere, malè, inquit, actum: Debuerat cætera prorſus omnia abijcere ex animo, ſeque totum Mathematicis abdere. Nondum ſcilicet illius vaſtiſſimæ mentis vires agnouerat, quæ licèt in plurimas artes diuiſa, ſufficeret omnibus. Neſciebat eum eſſe Claudium, qui rerum humanarum, diuinarumque ſcientiam ità penitùs hauſerat, vt nunquam de Matheſi cogitaſſe videretur. Audiuimus ipſi, & ſæpè admirati ſumus, cum in publico diſceptantium theatro breuitèr quidem, & contortè, ſed acutè, ſubtilitèrque diſſereret, vt hominem crederes non argumenta proferre, ſed ſpicula

cula

cula. Audiuimus, cum in familiari congressu de Theologicis incideret sermo, rem ipsam protinùs attingere, neque per ambages, & circuitus accedere ad causam, aut in vestibulo hærere, sed recto mentis cursu, & primo statim gradu ad controuersiæ caput, nodumque ipsum, vt aiunt, deuenire. Quod quidem eò admirabilius est, quò longiùs ista ab hominis instituto recedebant, qui pluribus iam annis Philosophiæ, & Theologiæ cogitationem omnem prorsus abiecerat.

Hæc igitur de Claudij eruditione, & doctrina palàm, & publicè ferebantur; sed erant longè maiora, quæ nunquam prodierant Domo, & intra nostros parietes

breue quidem, non tamen, vt arbitror, contemnendum ſecretæ admirationis theatrum habuere. Quamuis enim magnum apud exteros locum Claudius obtineret, mihi tamen credite, Auditores, nunquam hominem plenè noſtis; nunquam enim totus in publicum venit. Vos ſcilicèt in paginis, & libris, nos in moribus animum Claudij legebamus; vos, quæ ſcripſerat, agnoſcere potuiſtis, nos, quid rerum in dies ageret, explorare; vos ſæpè de literis, ſæpiùs fortaſſe de pietate, & virtute diſſerentem audiebatis, nos, quæ cæteris ſuaderet, reipſa perficere, & exequi videbamus, plura etiam præſtare, quàm quæ cæteris ſuaderet. Atque illa quidem tanta

ſunt,

ſunt, vt taceri non debeant; eorum verò recordatio tàm acerba, vt cogitari vix poſſint. Hæret adhuc pectori cicatricis aſperæ dolor; Sentio perturbari animum, & recrudeſcere vulnus, dum ea mente repetimus, quæ olim maximè delectabant, dum videremus; adeò vt, quæ pietas ſemper fuit, nunc quædam crudelitas ſit, laudare virtutem. Placet tamen, Auditores, crudelem potiùs eſſe, qùàm inuidum videri; non parcam dolori veſtro. Nam etſi ſopitus dolor excitetur commemoratione virtutis, hoc tamen acerbo licèt officio paſcitur animus, & quieſcit. Itaque vt tanti Viri virtutes neque ſilere poſſumus ſine inuidia, neque recordari ſine dolore;

lore; ità nec dolere quidem licèt sine aliquo sensu voluptatis. Agite, repetamus animo, quæ olim taciti mirabamur. Quantus erat in illo contemptus rerum humanarum, qui nihil iam optare nouerat, nec fugere; neque vnquam gaudere visus, nec conqueri. Summa,& infima splendida æquè, & abiecta eodem apud illum ordine habebantur; vt neque in illis honorem quæreret, neque in his pudorem, aut obscuritatem timeret. Paristudio,& alacritate animi Massiliæ inter solos quandoq; Nautas, & Parisijs inter Equites, Principesque versabatur. Nunquam munus muneri, Vrbem Vrbi prætulit, qui omnia paritèr humana contemnebat. Supellex

apud

apud illum nulla: Apum more, nihil secum habebat præter labores suos. Sed quid cætera, quæreret, qui se ipsum alieni iuris fecerat? Quippè vt olim Philosophus ille, cum multa didicisset, se nihil scire profitebatur; ità Claudius, cum quæ cæteri vellent, summo studio, & alacritate sequeretur, & alieno arbitrio viueret, hoc tandem consecutus fuerat, nihil velle. Itaque cum Parisijs in hanc Vrbem accersendus esset auctoritate Principis, precibus, & studio Nepotis, occurreretque ægrè hominem fortasse ab illo orbis terrarum theatro discessurum, omnia tamen inconsulto Claudio peracta sunt, quem scirent nunquam spectare, vndè discederet, sed quò vocare-

tur.

tur. Neque enim aut loci dignitas, aut ſplendor vllus, nec cupiditas gloriæ, aut vana celebritas nominis magnanimam Viri mentem acuebat ad laborem; cum ſæpè amico ſuo, cui nihil aut diſſimulare voluit, aut ſimulare potuit, ingenuè profeſſus ſit, nunquam ſe laudis, honoriſque ſtudio adductum, vt libros ederet, ſed ſpe, & amore publici boni.

Quæ omnia eò maioris erant apud nos ponderis, quò ille vehementiùs à ſimulatione, & dolo abhorrebat. Sunt enim aliquando, qui mores optimos, quos aſſequi nolunt, imitari tamen ſtudent: Claudius (ò Virum, qui nihil tegere nouerat, præter virtutem!) gloriam, & laudem, quam meritis

ma-

maiorem crederet, dedignabatur; imò quam ſibi debitam negare non poſſet, verecundè, & modeſtè declinabat. Nullus in illo fucus; plena omnia ingenuitatis, plena candoris. Parcè loquebatur, ſed grauitèr, ſed ſapientèr; neque numerus, aut turba, ſed pondus erat in verbis. Plena vox, & conſtans, non leuis, non lubrica; grauis inceſſus, non concitatus, non præceps; maieſtatem præferebat aſpectus, quam comitas, quam humanitas temperabat; reuerebaris occurſum, non formidabas: idem deniquè cum omnibus agendi tenor; pares publicis domeſtici mores. Quid? animus ille, quàm integer, quàm incorruptus! qua pietate, & innocentia, cęteroque vir-

virtutum Comitatu diues, instructusque eminebat. Nunquam efferri visus, nunquam erumpere; iracundiæ ne primos impetus quidem, nec leue vestigium perturbatæ mentis agnoscere licuit. Nam si quid controuersum accideret, vbi doctrina, & ingenio pugnandum esset, quàm erat sine felle ipsa indignatio? quàm decorus ardor! quàm innocens flamma! Hominem ego altissimo flumini sæpè tacitus comparabam, quod placido, quietoque lapsu nunquam extrà ripas redundaret, sed illimi aquarum puritate profundum alueum, altèque recedentem ostenderet. Atque hanc facilitatem, & quietem ingenij hauserat ille quidem ab eodem fonte,

à quo cęteri ex eius ſtirpe, quibus ſuauitas morum videtur commune quoddam eſſe patrimonium, ſanguinis è maiorum venis acceptum; Sed auxerat beneficium naturæ, & excoluerat arte, ſtudioque virtutis: adeò vt nec repentinis caſibus commoueretur, & in ipſo mortis occaſu eandem animi conſtantiam, & ſerenitatem frontis ſeruarit. Erat tamen in illo ſilentio, & tranquillitate mentis ardor quidam indolis, & vegetum robur, quo magna, & ſublimia fortitèr moliebatur, pertinacem ſolitudinis, ſtudiorumque laborem conſtantiſſimè tolerabat, nunquam è cubiculo pedem, nunquam à libris, & calamo manum referebat, vt noua in dies medita-

retur; & quæ cogitauerat, scripto traderet, non vt grandi arcano amicis, & sibi custodiret, sed vt publicæ vtilitati liberalitèr consecraret. Quid dicam? quibus stimulis, qua flamma, quo diuini cultus promouendi studio incenderetur, cum in ipso iuuentutis flore tenuissimæ valetudinis adolescens precibus quam potuit diligentissimis postularit, vt Costantinopolim ad Græcos pueros erudiendos mitteretur? Quod quidem assiduus flagitator impetrauit, & in Principe Turcarum Vrbe, insulisque circumpositis toto quinquennio commoratus est inter tædia laboris improbi, & puerilium nugarum. Itaque, Auditores, cum auctoritas Princi-

pum, preces, & officia amicorum vtili furto Claudium Parisijs eripuissent; cum nostrum esse, inter hos parietes viuere huiusmodi virum videremus, gratulabamur fęlicitati nostræ, neque vt alij clamore, & plausu, sed velut attoniti suspensique intimè gestiebamus, tantam virtutem alto silentio, & tacita veneratione prosequebamur.

Atqui cum apud Principes, Equitesque, apud Sapientes, & Domesticos, præclara esset, & peruagata Claudij fama, haud abs re fuerit paucis inquirere, quid de se Claudius ipse sentiret. Breuissimè dicam. Quod vnusquisque ex vulgo literatorum, quod mediocris ingenij, & conditionis homo,

hoc de se ipso Claudius sentiebat. Hinc scilicèt oriebatur verecundus ille pudor, & Aulæ fuga; quippè toties expertus fuerat modestiam eò seueriùs excipi, quò benigniùs exciperetur à Principe. Mirabatur enim, & vix ipse credebat sibi, cùm apud Equites, apud Reges in pretio esse, nomen aliquod, & locum obtinere experiretur. Hinc cùm occurrentem forte Claudium magni nominis Princeps singulari beneuolentiæ significatione salutasset; quærenti deindè, amico, cur nunquam Principem obsequij causa adijsset; quid, inquit, adirem, cui me putabam ignotum?

Plura dicerem, si aliquid vnquam ille dixisset; sed laudum

sua-

ſuarum auariſſimus Vir, qui aliena tantùm mirari poterat, ſua deſpicere, ſilentio ſuo penè etiam nobis legem impoſuit, & neceſſitatem tacendi. Nunquam tamen hoc impetrabit à me inimica Claudij gloriæ Claudij modeſtia, quæ ſi cęteras laudes ſiluit, ſilentium certè ipſum ſilere non potuit, & maximam hanc laudem Oratori reliquit, quòd cęteras laudes oppreſſerit. Quamquam non tacebat Claudius, dum taceret; virtutes enim paruæ loquuntur, ingentes tacent; ſed taciturnitas ipſa loquax eſt, & magnitudinem mutæ virtutis ſine ſtrepitu, & voce fatetur. Neq; tamen eo conſilio de ſe ipſo dicebat nihil, ne laudes ſuas ſe ipſum laudando minueret, ſed
 ideò

ideò nihil laudabat, quod nihil in se crederet posse laudari. Neque idcircò hoc credidit, quòd solus non agnosceret, quæ cęteri omnes in illo mirabantur; sed vastus animus, & maiorum capax, cum diuiniora adhuc superesse cerneret, quæ nondum assequabatur, quamquàm erant maxima, quæ iam studio, & labore consecutus fuerat, tanquam infima, & nulla essent, contemnebat. Mirentur tamen alij, quod sua nunquam laudauerit Claudius; miror ego magis, quòd sua nunquam loquendo despexerit. Plures enim sunt, qui se ipsos voce contemnunt, se nullius rei, nullius nominis, nullius ingenij prædicant; Sed interim contemptum, & negligentiam sui cogunt

su-

ſuperbiæ, & ambitioni ſeruire.
Nihil horum Claudius. Scire
vultis, quid ageret? tacebat.

O' ſilentium hominis! O' taciturnitatem omni voce, & laude maiorem! Loquetur tamen poſteritas tota; loquar ego, dum viuam; literæ omnes, Artes omnes, Academiæ, & Gymnaſia, quæ te annis fermè triginta docentem audiuere, ſapientiam, pietatem, innocentiam, religionem tuam loquentur. Neque Ciuitas iſta cuius beneficio dies vitæ poſtremos impendiſti, de Te vnquam Claudi ſilebit. Manet altè impreſſa mentibus, & fideli cogitatione deſcripta imago virtutis tuæ. Viuis, æternumque viues in animis omnium, in quibus iam viuebas, dum viue-

res: habes hanc morti tuæ ſuperſtitem vitam, quæ mori non poteſt. Ita enim præſentem ſentimus, vt ſæpè obliti doloris noſtri, & funeris tui, quem nuper ſepulchro dedimus, vix credamus extinctum, & oculis cernere videamur. Claudium cogitamus, Claudium quærimus, Claudium ſiuè amoris, ſiuè doloris inani fraude decepti videmus, audimus, alloquimur. Salue heroum ſanguis, ſalue, & æternum vale. Fruere fœlicitatis faſtigio, quam Tibi virtute peperiſti. Si tuorum, ſi mei, ſi laudum iſtarum, quas viuus contempſeras, curam geris poſt fata; O' Pater, accipe poſtremum hoc munus, quod cineri tuo in amoris, & grati animi argumentum non ſine la-

ory-

crymis dolentes offerimus. Fruemur interim hæreditate luctuosa, quam solam relinquere potuisti; habebimus pretiosa spolia mortalitatis tuæ: & ne quid iuris sit tempori, signabimus fortunatum lapidem, tuasque laudes, & nomen immortalibus notis inscribemus.

HIC IACET

CLAUDIUS FRANCISCUS MILLIET

DE CHALES,

Genere, Sapientia, Virtute

Notus omnibus, ignotus sibi.

DIXI.

CAROLI EMMANVELIS II.

Sabaudiæ Duc's, Pedemontium Principis, Cypri Regis, &c.

RES GESTÆ

Breuiter, & summatim descriptæ.



Arolum Emmanuelem Allobrogum Ducem eius nominis secundum opportuno, felicique partu enixa est Christina à Francia die vigesima Iunij anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto iam tùm scilicet futuras calamitates præcauente Cœlo, cùm morituro fratri successorem dedit, tanquam impendentis exitij publici moram, & pignus redituræ salutis. Natus enim est inter infausta præludia eius belli, quod Italiam pro-

pe

pe vniuerſam, & Subalpinos potiſ-
ſimum Hiſpanis, Galliciſq; armis
exercuit, & efferatis pertinaciter
animis in eius ætatem latiſſimè
excurrit. Victorem Amadeum
Patrem, qui tùm erat in Gallo-
rum partibus, triennis adhuc in-
fans amiſit acri, breuique morbo
confectum; mox, vt raró ſolitaria
contingunt mala, anno vix euolu-
to, nec dum ſiccatis paterni fune-
ris lachrymis extulit Fratrem natu
maiorem Franciſcũ Hyacinthum.
Ita Sceptrum, quaſi paternæ, fra-
ternæque mortis immaturum, in-
gratumq; munus, accepit. Interea
tutela Principis, & rerum ſumma
penes Matrem fuit: atq; hinc alia
Regni labes, ciuilis Diſcordia;
quæ tandem Chriſtinæ Parentis

infracto animo, & planè virili constantia compressa, extinctaque est. Neque deposita tamen arma, sed à Ciuibus in hostes rursum conuersa; & natum cum Principe bellum, cum Principe adultum, eiusdem auctoritate, & imperio, cùm iam annos pubertatis egressus regnum administrare cæpisset, toto decennio gestum est, feliciterque confectum. Inde ad Studia pacis animum Carolus vocans reliquam ætatem publicis rebus adhibuit. Nisi forte speciem aliquam belli præferre possint valida copiarum præsidia, & Magni nominis Heros Franciscus Ghironius Villa obsessis Cretensibus Defensor datus; deficientesq; ab se perduelles Hæretici intra speluncas suas, & crepi-
dines

dines montium quæsiti, armisque subacti. Cætera pro tuendis finibus vltrò suscepta, initia, apparatusq; bellorum potiùs fuere, quam bella. Atq; vt pacatas, opulentasq; Prouincias externis quoq; viribus tutaretur, cum Catholicis Heluetiorum Ordinibus fœdus sanxit more maiorum. Ijsdem auctor pacis, adhortatorque fuit, cum sectà in partes Republica ruerent in mutuas cædes Hæretici, Catholicique. Dum enim Concordiæ viam frustrà quererent magnorum quoque Regum Legati, Carolus Emmanuel, per Oratorem suum impetratis inducijs, imminens prælium diremit; tùm mollito paulatim furore partium ad pristinam tranquillitatem gloriosissimè reuo-
 cavit.

cauit. Partam apud exteros gloriam secuta sunt domestica funera. Christinæ Matris, quam vsque ad supremum diem obsequentissimè coluerat, cuius arbitrio Imperium ipsum, Regiamque auctoritatem, confirmata etiam ætate, permiserat, Matris, inquam, & tantæ Matris acerbissimam mortem grauissimè tulit; eòque grauius, quòd lectissimam coniugem, parem sanguine paremq; virtute Franciscam Borboniam, quam paucis ante mensibus solemni nuptiarum pompà iunxerat sibi, nullo dato dolori spatio, vno, eodemque rogo composuit. Sed alto numinis consilio ea mors contigit, vt Sabaudi sanguinis vxor Ioanna Maria Baptista Sabaudo iungeretur, quæ

in

in præcipiti eius funere iacentibus animis ſpem aliquam faceret duraturæ felicitatis; nè orbitatem ſuam ſentirent populi, ſed in vnius mente, religione, vigilantia ſollicitudinem, metumque deponerent. Carolus certè, vbi primùm ſenilem ſponſæ prudentiam in flore ætatis agnouit, nihil illa inconſultà ſtatuit impoſterum; imò ad arcana conſilij ſanctioris admiſſam de rebus grauiſſimis deliberare voluit, & imperare ſecum. Ita ſcilicet, quaſi futura è longinquo proſpiceret, ſociam Regni erudiebat paulatim, vt Sola etiam imperare poſſet. Quippè integris viribus, nullòque affecti Corporis indicio robuſtus Princeps, cui longam ſenectutem pollicerentur omnes, im-
mor-

mortalitatem optarent, cùm magna iam opera perfeciſſet, maxima moliretur, primo & quadrageſimo ætatis anno nondum abſoluto, relictoque vnico hærede ſanguinis, virtutis, & ſceptri Victore Amadeo, inſperatò deceſſit. Quantus inde extiterit publicus dolor, quæ in aula, vrbe, totàque regione orbitatis, ſolitudinis, vaſtitatis indicia, cogitari faciliùs, quàm dici poteſt. Nam multa concurrebant in Carolum, quæ amori, & dolori materiam darent. Magna illi Virtutis indoles, animus Regno maior, acre, certumq; iudicium, mens per ſe firma, ſubtiliſque, & vſu rerum magiſtro plenior in dies, & fortior. Porrò facilitas, comitaſq; haud in alio profuſa magis, & rapax. Nulli

vn-

vnquam inaccessus, nulli ieiunus, austerusque. Aduenas præsertim submisso regali fastigio familiarissimè alloquebatur, velut immemor dignitatis suæ, quam tamen à contemptùs periculo vindicabat læta Maiestas. Suauitati morum par gratia, & dignitas frontis: vt plerique crederent arte quæsitam. Sed formæ contemptor animus nihil impatientiùs ferebat, quàm luxum, & fucos indignos viro. Alacres prætereà, gestandisque armis habiles artus, laborum patientia incredibilis, militare ingenium, præferuida, martialisque natura; sed indolis impetum fortior prudentia prope violenter cohibuit; effecitque, vt, qui bellum optabat, eligeret pacem. Bellicosam quoq;

men-

mentem vel fregit, vel elusit imagine quadam pugnæ venatio frequens, neq; ad humiles plerumq; prædas, sed in Apris, Ceruisq; incitatissimo equorum cursu conficiendis occupata. Hæ Principis delitiæ, hæc animi laxamenta; quibus nunquam à ciuilibus curis auocabatur. Cumulabat reliquas Caroli Laudes Amor in suos. Hinc illa seruadæ pacis constantissima voluntas, quamquam & suo ipse ingenio, & externorum Principum vocibus incitaretur ad bellum. Ab eodem fonte seueritas pariter & Clementia nascebantur, quas ita inuicem temperabat, vt neq; publicæ securitati noceret facilitas veniæ, neq; illius desperatio Principis benignitatem offendere-

ret.

ret. Hoc vno fortasse minùs suorum amans visus est, quòd seipsum plus nimiò contempsit. Nam & tranare flumina, dum rapidissimè fluerent, & ingentes fossas transilire equo, cæteraq; id genus pericula quærere solitus erat, impetu quodam fatali. Excusabatq; temeritatem perpetua euadendi felicitas. Cæterùm eius operum numerus, magnificentia, & splendor admirationem posteris, ipsius nomini immortalitatem dabunt. Augusta Regiæ moles, eiusque spatiosa Atria, vastæ Porticus, & reliquæ Opes ad Aulæ apparatum, & pompam vbique congestæ, rudimenta tantùm fuere seipsam experientis Magnificentiæ. Exeruit deinde se totam in regiæ Venationis

nis Prætorio, vbi Carolus, cùm suburbanam Domum cogitaret, par Vrbi Oppidum fecit. Cuius operis magnitudo iusti voluminis argumentum dedit; & iam typis excusum est, fietque aliquandò publici iuris. Accedentem geminus excipit ædium ordo pari fronte, crescentium, prospectusq; illarum ingens, quantum oculus adigi possit, tum recedentes iu theatri morem, & in se iterum redeuntes series domorum, longo rursum excursu, & nouo rursum theatro conclusæ. Feruet vndique incolarum multitudo, & euocata ex Italia, Gallia, Belgio pulcherrimarum artium Opificia. Quæ omnia vestibula sunt, & quasi proscenia Regiæ Domus spectaculo oculos

præ-

paratura. Huius ambitus, molesq; vasta,& excipiendis Regibus par; supellex opulentissima, fontes crebri, varijque, sed in Herculeo mira ars,sumptus immensi. Adde septa peregrinarum auium, & ferarum, Hortorum spatia,Canum, Equorum, Plagarum apparatus amplissimos, deriuatas aquas ferendis cymbis minoribus pares, impositumq; superbum opus, profani nominis, sed insolitæ pulchritudinis, Dianæ templum. Satis hęc erant gloriæ Principis,sed eius magnificentiæ nequaquam satis. Nam Vercellas insuper, amplissimam Vrbem, nouo, & ampliore mænium ambitu, quatuordecim propugnaculis, grandi vallo, multisq; operibus cinxit: Vbi similior

tem-

templo Vrbis Porta albo marmore interiùs, exteriusque vestita ingressuros sistit nouitate spectaculi. Ceuæ arcem altissimæ impositam rupi, nullo relicto antiqui operis vestigio, nouam, & inexpugnabilem fecit; excisoque interiori monte, muri loricam, vbi opus fuit, intra fauces apertæ rupis abscondit. Verrucam, quæ immunita quondam, Caroli Emmanuelis Aui vigilantià, maximi exercitus vires eluserat, noua mœnium corona communiuit: vbi nuper à montis dorso ductus per saxa puteus perennis aquæ, miræ profunditatis. Taurinensem vrbem, vrbiumq; suarum Metropolim septem propugnaculis auxit, hinc ad Eridani, inde ad Duriæ fluminis

ripam.

ripam. Quodq; vix impetrabit posterorum fidem, res tanta vnius anni labore confecta est. Aderat ipse improuisus sæpe; promouebatq; celeritatem Artificum præsentia, & liberalitas Principis. Qui vt erat cupidissimus rerum, vbi aliquid conceperat animo, nihil iam nisi finem cogitabat, nec suorum operam probabat magis, quàm cum celerrimè perfecissent. Inter hæc Taurinensis Curia, eiusque vasti carceres; Montiscalerij Prætorium ad magnam amplitudinem ductum; cæpta Academia, & longissima Porticus centum, & septuaginta è selectissimo marmore ingentibus columnis ornanda; in lacu Lemano structæ, armatæq; triremes, & species quædam Arcis

erecta;

erecta; in Herculeo portu ad Nicæam producta ingentia claustra, excipiendis purgandisq;mercibus, quæcumq; mari veherentur; Æris fodinæ quæsitæ, haustæque, & inde conflata bellica tormenta, regiorum operum appendices videri possunt. At sacra Ædes sanctissimæ Sindonis custodiæ dedicata, ea tandem est, in qua vires omnes artis, & magnificentiæ consumptæ sunt. Nigro marmore, æneisque Emblematis tota constat. Ampla, altèque crescens testudo; aliusque desuper ordo columnarum, capitula, & bases è solido ære conflatæ, & incrustatæ auro. Ædis apex in fornicem desinit adeò in sublime porrectum, vt nulla Vrbis moles altiùs itura sit. Sed lentum

opus

opus est, ipsaque tarditate, quam vincere non potuit festinatio Auctoris, magnitudinem suam satis docet. Claudit operum agmen non sine admiratione omnium tridui iter in Sabaudia constratum, vbi repletæ valles, montes æquati solo, facta per medias rupes militaris via deducendis plaustris opportuna, & capax, vnde antea singuli pedites arcebantur. Pontes præterea è quadrato lapide fluminibus impositi, vt facilem conuehendis è Gallia mercibus fecerit locum. Hæc tam multa, tantæque molis opera Caroli Emmanuelis II. Magnificentia annorum duodecim spatio confecit, cum exhaustis, vexatisque diuturno bello populis regnare cœpisset, nullisque imperatis extra ordinem vectigalibus pristinæ felicitati restitutos videret. Quo etiam miranda magis eius animi magnitudo, quà mortem immaturam adeò, magnisquè consilijs importunam constantissimè excepit. Nam eodem semper vultu totam domesticis sui funeris pompam, lugubremquè aulæ apparatum imperauit; Regiam vxorem, quid ipsi agendum se mortuo, diligentissimè docuit; Medicis spem aliquam simulantibus vultu altè edixit, quidquid agerent, conclamatum esse; Auditoque ad conclauis limina ciuium concursu, Prætorianis militibus significauit nutu, nè quemquam aditu prohiberent; Et, Sinite, inquit, omnes videant

etiam

etiam Principes mori. Sacris misterijs expiatus religiosissimè, delataque ad ipsum Christi sindone, ea dixit, quæ lachrymas omnibus extorsere: Amare se vnicè subditos, sed illud mirari, cur mortem suam tantoperè deplorarent: Gauderent potiùs nefarium hominem, pessimique exempli (ita seipsum appellabat optimus Princeps) eripi terris. Ita morte sacris quoque hominibus inuidenda defunctus est die duodecima Iunij Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto. Fuit omnium opinio pium hoc mortis genus illi a Deipara impetratum, quam toto vitæ tempore, quotidianis obsequijs, extructis aris, templisque, crebris ieiunijs amantissimè coluit. Quod si magnæ virtutis præmium est, piè mori, illud sanè Carolo meruit tùm reliquarum Virtutum numerus, tùm ille Romanæ Religionis tuendæ sanctissimus ardor, quo sæpe professus est, se priùs vitam suam, coniugis, filijque ferro daturum, quàm subiectos sibi populos hæresis labe pollui pateretur. Hoc animo Regnum seruauit, hoc reliquit.

F I N I S.